

lenta probatio est, quod sint effectus prædestinationis, etiam prout sic dantur, quia eis correspondet aliquis effectus, et præmium in gloria. Quod ergo ita sic probatur: nam quod attinet ad gratiam interruptam constat, quod quando aliquis efficaciter eligitur ad gloriam, eligitur ad determinatum gradum gloriæ, quia efficax providentia ducens ad finem, non ducit ad finem indeterminate, et in abstracto, sed in singulari, et determinate. In his autem prædestinatis, qui non sunt innocentes, sed peccant, et resurgunt (inter adultos est sine dubio major pars) non potest eligi determinatus gradus, nisi componatur ex gradu interrupto, a quo per peccatum deciditur, et ex gradu reparante, quia ex utroque consurgit illa determinata pars gloriæ in cælo reddenda: ergo illa prima pars gratiæ etiam pertinebit ad gloriam prout primo data est, dummodo conditiones generales non desint, scilicet quod decedat in gratia, et non in finali impenitentia, et determinetur via per mortem, etc. ita tamen quod gradus dandus in gloria non correspondet soli gratiæ reparanti, et ultimæ perseverantiæ, sed etiam primæ gratiæ ut primæ: sic enim ut prima est reparata, quia id reparatur quod prius est datum, unde si ille determinatus gradus gloriæ, ad quem quis prædestinatur, integratus ex primo gradu reparato, et ex secundo reparante, sub utraque ratione est effectus prædestinationis, quatenus uterque est pars unius integri, et determinati gradus dandi in gloria, et quando primo datur, datur per Christum, et in statu ordinabili de facto, et respiciente gloriam pro isto subjecto: ergo non est cur excludatur ab effectu prædestinationis, etiam prout primo collata, dummodo ly prout primo, non dicat talem præcisionem quæ sit ne-

gatio a secundo statu reparationis, sed potius ordinabilitatem ad illum; quod enim primum est, ad secundum de se ordinatur. Quod vero attinet ad vocationes inefficaces, etiam constat quod licet illis de facto desit consensus, tamen de se sunt beneficia divina, quæ inclinant ad gratiarum actionem, et rursus recogitata excitant ad pœnitentiam, et dolorem de earum amissione, et de non correspondentia ad illas, et in cælo gaudium de illis habetur, tamquam de beneficiis a Deo collatis, et ad ordinem supernaturalem pertinentibus: ergo de se pertinent, et conducunt ad gloriam, et ad prædestinationem tamquam effectus ejus. Sufficit autem ut aliquid sit effectus prædestinationis, quod pertineat ad gloriam accidentalem: nam glorificatio corporis, ejusque dotes, et revelationes extra Verbum, prædestinationis effectus sunt, et tamen ad gloriam accidentalem pertinent. Et hac ratione etiam probatur, quod gratia interrupta etiam ut primo collata est effectus prædestinationis, quia ut primo collata, et pro illius temporis circumstantia, est beneficium speciale Dei, potestque peculiari modo excitare ad Dei laudem, et amorem, et ad pœnitentiam, considerando quod tali tempore, et in ipso initio, cum nihil boni fecissemus a Deo collata est, quod certe valde suscitatur voluntatem in amorem Dei sic prævenientis nos: ergo etiam prout primo collata conducens est ad gloriam prædestinationis; et sic est effectus illius, quia valde incitat ad continuandum Dei amorem.

Dices instari hanc rationem multipliciter.

IX. Primo, in sententia S. Thomæ et plurium Thomistarum, quod peccator resurgens a peccato, non semper resurgit ad totam gratiam quam amisit, sed juxta præsentem dispo-

sitionem aliquando resurgit in minori gratia: ergo aliqua gratia præcedens aliquando ita interrumpitur quod totaliter evacuetur propter tepidam dispositionem resurgentis; et sic illa pars gratiæ quæ non resurgit, totaliter non est effectus prædestinationis.

Secundo instatur: In gratia collata Adamo in statu innocentia, quæ prout postea reparata per Christum pertinuit ad prædestinationem et pro illa recipit gloriam Adam, et tamen pro illa statu innocentia non fuit data per Christum, supposita sententia D. Thomæ quod Christus pro illo statu non veniret, et consequenter pro illo statu non fuit effectus prædestinationis, quia in illo statu nulla prædestinatio facta fuit, quæ solum per Christum facta est, et ante Christum nullus est prædestinatus, et sic ille status non duravit, nec continuatus est cum gloria.

Tertio, instatur quia in sententia opposita prædestinatio non differt a providentia generali penes efficacem intentionem antecedentem ipsa merita, et collationem gratiæ, sed penes ordinem, et connotationem ad ultimum effectum, qui est perseverantia; et sic quando gratia primo confertur, ex providentia generali confertur, ex adjuncta vero reparatione, et perseverantia redditur ad prædestinationem pertinens: et sic tota ratio quare pertinet ad prædestinationem, est quatenus reparata, et perseverans.

Quarto, instatur quia si solum ponimus illam gratiam ut primo collatam, et vocationem inefficacem esse effectum prædestinationis, quia pertinet ad gaudium accidentale, et potest esse occasio excitandi ad laudem Dei, et pœnitentiam agendi, eadem ratione omnia bona naturalia, et ipsa substantia prædestinati, imo et amissio gratiæ possunt di-

ci effectus prædestinationis, quia possunt esse occasio aut motivum excitandi pœnitentiam, aut dandi laudes Deo, etc.

Ad primam instantiam dicitur, quod D. Thomas absolute non negat gratiam priorem non redire, sed redire, et instaurari juxta quantitatem dispositionis in pœnitente, ut docet III p. q. LXXXIX, art. v, et ad minus semper ei correspondere gaudium accidentale in gloria de operibus prius factis, ut ibi docet ad III. Et communiter Thomistæ docent reparari etiam quoad gloriam essentialem adveniente ferventiore, et intensiori dispositione, quæ si non datur in hac vita dabitur in anima separata a corpore, et juxta quantitatem ejus reparabitur tota gratia amissa, aut remissis operibus correspondens. Quare semper salvatur, quod illa gratia non evacuetur simpliciter, sed ad vitam æternam, et gloriam pertinebit, sive essentialem sive accidentalem; et sic effectus est prædestinationis.

X. Ad secundam instantiam dicitur esse disparem rationem de gratia pro statu innocentia; etsi reparanda in statu lapso, et de gratia modo in isto statu collata, et postea reparanda, quod in statu innocentia, quantum est ex vi status, neque procedebat ex efficaci intentione dandi gloriam, neque ordinem dicebat ad reparatorem, neque ad reparationem, sed reparatio omnino extrinsecus illi advenit, et ex vi alterius status, quia voluit Deus dare illi statui reparationem, quod omnino extrinsecum illi fuit, et ex alia providentia ortum, quia complacuit Deo reparare in Christo quæ in cælis sunt, et quæ in terra. Unde per se, et in eadem linea, et providentia, ista non connectebantur. At vero gratia quæ modo primo confertur, et postea perditur, etiam pro illo primo statu, et quando primo

datur, per Christum est, et ordinabilis ad finem gloriæ, ut efficaciter assequendum per se loquendo, et in vi hujus status in quo datur, sine hoc quod alium statum expectet in quo ordinetur ad consecutionem efficacem gloriæ, quia hic status in quo datur est efficaciter ductivus ad gloriam, licet intra hunc statum expectet conditiones aliquas generales, et requisitas ad omnem effectum prædestinationis, videlicet quod interveniat mors ipsius hominis, quod habeat finalem perseverantiam, et similia, sine quibus nullus effectus potest prædestinationis effectus esse. Quare non est tota ratio effectus prædestinationis, si ly ut dicat adæquatam rationem effectus prædestinationis, bene tamen si ly ut dicat conditionem requisitam, sine qua non erit effectus prædestinationis, sicut sine morte nullus effectus perveniet ad finem prædestinationis, nec ad gloriam pertinebit, et tamen non sola mors est effectus prædestinationis. Et similiter non sola perseverantia finalis est prædestinationis effectus, licet sine illa nullus effectus perveniet ad prædestinationem.

Ad tertiam instantiam respondetur nullo modo dici posse quod gratia, ut primo collata pertineat ad solam providentiam generalem in prædestinato, pari enim ratione continuatio gratiæ, et augmentum in illa et reparatio a lapsu non pertinebunt ad prædestinationem, sed ad providentiam generalem, quia omnia illa possunt inveniri in reprobo usque ad finalem perseverantiam, quæ sola est propria prædestinatorum; et sic sola finalis perseverantia dicetur effectus prædestinationis. Quod tamen falsissimum est, quia non sola finalis perseverantia constituit viam, et meritum gloriæ, sed etiam alia antecedentia opera meritoria, perseverantia au-

tem solum consummat, et terminat viam, non totam constituit. Si ergo ante perseverantiam finalem dantur merita, datur via, dantur effectus conducentes ad gloriam per se, et ex sua formali ratione, licet dependeat a perseverantia ut a conditione: ergo ea quæ antecedunt finalem perseverantiam, et pertinent ad ordinem gratiæ, effectus sunt prædestinationis, utpote ad gloriam efficaciter ordinata, et postea in alia vita præmiata; quidquid sit an electio efficax antecedit prævisionem meritorum, vel non.

Ad quartam instantiam respondetur, quod ea quæ naturalis ordinis sunt, non pertinent ad effectus prædestinationis formaliter, et proxime seu elicitive, sed remote et imperative, ut postea dicemus, quia non se habent ut media per se, et ab intrinseco conducentia ad gloriam; quod multo magis currit in ipsa substantia prædestinati, quæ se habet ut subjectum, non ut medium ad prædestinationem, de quo postea dicemus: aliqui enim etiam concedunt esse effectum prædestinationis. Quæcumque ergo se habent ut media aliquo modo conducentia ad gloriam, sub ea ratione qua conducunt, effectus prædestinationis sunt; sed quædam conducunt per se, et formaliter, scilicet ea quæ sunt ordinis gratiæ: et sic elicitive pertinent ad prædestinationem, et proxime seu immediate, alia per accidens seu per aliud, et remote, solumque imperative; et sic se habent res naturalis ordinis.

XI. Ex dictis manent soluta fundamenta Vasquez. Præcipuum fundamentum est, quia gratia ut primo collata et præscindens adhuc a perseverantia, et similiter inefficaces vocationes sunt effectus communes reprobis et prædestinatis: ergo non sunt effectus proprii prædestinationis. Consequentia est evidens: et

antecedens constat, quia multæ vocationes dantur reprobis quæ effectum carent, et inefficaces sunt, et similiter sæpe datur gratia quam amittunt et interrumpunt: ergo prout sic, illi effectus sunt communes reprobis et prædestinatis.

Confirmatur hoc exemplis adductis in superioribus instantiis. Et præsertim hoc urget, quia gratia amissa si reparatur non redit eadem numero, sed alia distincta: ergo illa prior nunquam est effectus prædestinationis, sed prorsus evacuatur, et alia subrogatur numero distincta pro illa. Quæ autem evacuatur, omnino prædestinationis effectus esse non potest; et gratia quæ reviviscit, non semper tota restituitur post pœnitentiam, nisi juxta dispositionem præsentem, ut docet S. Thomas III p. quæst. LXXXIX, art. II et V ad III et in III, dist. XXXI, q. I, art. IV, ergo aliqua pars gratiæ interruptæ nullo modo reparatur; et sic non pertinet ad prædestinationem; quæ autem pertinet, solum ut reparata pertinet, non autem in se.

Secundum fundamentum est circa vocationes inefficaces, quia istæ per se non conducunt ad effectum prædestinationis, si quidem inefficaces sunt, et fructu carent. Si vero aliquem fructum habent, id totum est per accidens, et mediante alio, scilicet mediante memoria, qua recolit sese non bene usum esse illis inspirationibus; et sic dolet, et pœnitet, vel humiliatur, etc. Hæc autem recordatio est ex inspiratione efficaci; et sic vocatio illa prior, ut inefficax, non est effectus prædestinationis: præterquam quod hac ratione etiam ipsum peccatum, et resistentia, quæ fit gratiæ divinæ, potest dici effectus prædestinationis, quia revocata in memoriam possunt esse causa vel occasio humilitatis, doloris, et pœnitentiæ. Et deinde, quia effectus prædestinationis non

possunt oriri ex ipsa, nisi oriantur etiam ex intentione efficaci dandi gloriam, ex qua oritur præparatio mediorem, quæ dicitur prædestinatio. Ex efficaci autem voluntati aliqujus finis non oriuntur inefficaces vocationes, quia imprudenter aliquis intendens efficaciter unum finem, eligeret inefficacia media, cum in manu ejus sit efficacia ponere, superfluum enim videtur inefficacia adhibere. Denique, suffragatur Augustinus qui in libro de prædestinatione sanctorum, cap. XVI, dicit: « Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, sed non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias. » Et infra: « Sciens esse quamdam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, quos præscivit et prædestinavit, etc. » Vocatio autem inefficax non est secundum propositum, sed sicut eorum qui noluerunt venire ad nuptias.

Hæc fundamenta ex dictis soluta sunt.

Ad primum enim dicitur, quod isti effectus sunt communes reprobis, et prædestinatis si considerentur secundum suam substantiam præcise, et absolute, non autem si considerentur sub aliquo respectu, et ordine, quo a Deo dantur, et diriguntur ad finem prædestinationis, et ut possunt ad gloriam conducere: nam etiam ipsa auxilia efficacia, et justificatio et bona etiam naturalia, et ut uno verbo dicamus, omnia alia præter ultimam perseverantiam et glorificationem, si secundum se considerentur, et quantum ad suam substantiam, possunt esse communia reprobis et prædestinatis; et tamen non sola perseverantia et glorificatio sunt effectus prædestinationis, sed etiam alia media, quibus in hac vita, et in hac via perducimur ad illam perseverantiam et glorificationem: hæc enim quate-

nus coordinata, et continuata, et respective se habentia ad ultimam perseverantiam effectus sunt prædestinationis, licet non sub præcisione suæ substantiæ, et ut absoluta ab omni isto respectu. Similiter etiam quatenus possunt conducere ad gaudium accidentale in cælo, et quatenus ex illis sumi potest occasio humilitatis, pœnitentiæ, aut excitationis ad particularem Dei laudem et amorem secundum quod in memoriam revocantur, et ad istos effectus conducunt. Nec solum hoc habent ut reparata, si ly ut dicat rationem formalem: secundum se enim conducunt ad gloriam, et beneficium Dei sunt; bene tamen si ly ut dicat conditionem necessariam, quia sine isto respectu ad perseverantiam, ad reparationem, et revocationem in memoriam non conducunt.

XII. Ad exempla allata jam respondimus in instantiis adductis. Ad illud quod dicitur non esse eandem numero gratiam quæ reparatur, et quæ ante erat, respondetur non esse eandem physice, et entitative, bene tamen moraliter, et æquivalenter, et in ordine ad eandem numero gloriam, quæ datur propter illum gradum gratiæ, quæ antea erat, et modo reparatur: licet enim amissa gratia, postea succedat alia entitative distincta, eandem tamen gloriam respicit; et sic censetur eadem numero gratia formaliter, licet materialiter una entitas succedat alii, sicut est idem locus numero propter eandem correspondentiam ad eandem distantiam, et polos, vel puncta fixa, licet superficies materialiter diversæ transeat, et varientur in eodem ubi, seu distantia. Ad illud vero de reviviscencia meritorum et gratia in minori gradu, quam fuerat a principio, jam respondimus, quomodo gratia reviviscit, juxta dispositionem, quam ali-

quis habet: vel in hac vita, vel in futura secundum varias opiniones, vel ad minus valet quoad gaudium accidentale, si non reviviscat aliqua quoad essentielle præmium, et sic tandem ad vitam æternam et cæleste præmium potest conducere, quod sufficit ut sit effectus prædestinationis. Et cum dicitur quod solum prodest in quantum reparata, jam sæpe diximus quod in hoc verbo latet æquivocatio, quia ly ut potest reduplicare vel conditionem requisitam, vel rationem formalem: sicut enim cum dicimus quod ignis non calefacit, nisi ut applicatus, et quod non calefacit nisi ut calidus, in primo reduplicatur conditio, et in secundo ratio formalis, ita gratia, quæ primo collata est, si amittitur, non valet nisi ut reparata, neque absolute valet, nisi ut finaliter perseverans, non tamen ita quod totus valor, et ratio formalis ad gloriam sit ipsa perseverantia aut reparatio, cum etiam pro gradu illo, et primo collato corripendeat suos gradus in gloria, et non pro sola reparatione aut perseverantia, sed tamen illemet primus gradus indiget reparatione et perseverantia ut conditione sine qua non consequetur ille valor efficaciter gloriam. Et similiter vocatio inefficax in se habet unde sit beneficium Dei gratuitum et supernaturale, quod possit excitare ad Dei laudem, et amorem, vel ad humilitatem et dolorem pro ejus frustratione, sed tamen nisi in memoriam revocetur, nihil de facto operabitur tamquam propter conditionem requisitam.

XIII. Ad secundum fundamentum patet ex dictis, quomodo vocatio inefficax per se, et ratione sui conducit tamquam ex motivo, et ratione formali excitativa ad bonum, per accidens autem et ratione alterius tamquam ex conditione requisita ut in memoriam revocetur, et

sic applicetur ad movendum, quæ quidem recordatio est ex inspiratione efficaci in ordine ad revocandum in memoriam vocationem illam inefficacem, sed motivum et formalis ratio excitativa doloris aut humilitatis, vel laudis Dei, non est ipse actus recordationis, sed res illa quæ in memoriam recordatur, seu ipsa vocatio inefficax: et quod hoc illud auxilium efficax revocativum in memoriam se habet ut conditio respectu motivi quod est ipsa res vocata, scilicet vocatio inefficax. Quod si in hac vita non recordetur illius vocationis inefficacis in particulari, saltem poterit recordari omnium in communi, vel saltem in alia vita recordabitur, ut inde excitetur ad laudem Dei et gaudium accidentale. Et cum dicitur quod hoc modo etiam peccatum in memoriam revocatum poterit operari ad salutem, et ad pœnitentiam, distingo; per se ut beneficium collatum a Deo, et tendens ad gloriam, nego; per accidens ut materia detestanda et relinquenda, transeat: sed tunc non operatur et conducit ad gloriam ipsum peccatum, sed detestatio ejus, vel permissio, ut infra dicitur articulo ultimo. Ad aliam probationem quod inefficaces vocationes non possunt procedere ex intentione efficaci dandi gloriam, respondetur quod inefficaces vocatione, quatenus inefficaces sunt respectu proprii et immediati effectus quo frustrantur, non procedunt ex efficaci intentione dandi gloriam: sub illa enim formalitate potius ei repugnant; quatenus vero ordinantur extrinsece ad alium finem, seu ad alios effectus, etiam ad prædestinationem pertinentes, sic possunt et sunt effectus prædestinationis: nec superflue, sed valde prudenter intendens efficaciter aliquem finem erogat aliqua media frustrabilia suo effectu, ut sub alia formalitate ex-

trinseca ordinentur ad finem illum, licet ab intrinseco, suo proprio et debito effectu frustrentur, id enim convenit ut homini ostendatur infirmitas sua, contingentia, inconstantia, ingratitude, etc. et ut sic magis ad interiora reformetur et trahatur.

Ad loca Augustini respondetur docere in illis Augustinum quod prædestinati, prout sic, et formaliter loquendo non vocantur vocatione inefficaci sistendo ibi, quasi illa sit propria prædestinatorum, sed vocantur vocatione efficaci, et secundum propositum per se loquendo. Si autem aliqua inefficax vocatio illis detur, illa etiam ut ordinata ad aliquam efficacem potest esse effectus prædestinationis, et sic illa vocatio inefficax etiam est secundum propositum, non quidem ex suo intrinseco, et ut respiciens proprium effectum, quo caret, sed ut ad aliquem extrinsecum effectum ordinata, qua ordinatione tamquam conditione requisita posita, de se dat motivum sortiendi effectum, ut explicatum est.

ARTICULUS IV.

An bonus usus liberi arbitrii, ut tenet se ex parte nostra, sit effectus prædestinationis?

I. Multa sunt in mediis quibus prædestinatio nostra disponitur, quæ a solo Deo fiunt, ut prima vocatio, infusio habitualis gratiæ, collatio gloriæ; alia quæ nobis etiam influentibus, et cooperantibus fiunt, ut sunt opera omnia bona, et meritorii actus, et consensus liber, qui Deo vocanti adhibetur. De primo genere mediorum non est dubium a prædestinatione divina procedere, cum a solo Deo supernaturaliter, et specialiter operante fiant. De secundo, etiam pro ea parte qua a Deo